

rentia: nam non solum infideles, sed etiam fideles practice apprehendunt multoties in bono delectabili maiorem rationem boni, quam in beatitudine in particulari, in cuius signum videmus, quod propter illud se avertunt per peccatum mortale a vera beatitudine: ergo.

Ex his (inquam) inferitur, voluntatem nostram in via non manere necessitatam quoad specificationem, ad amanda alia bona in particulari. Tum, quia si non est necessitata ad beatitudinem in particulari, multominus necessabitur ad aliud bonum in particulari, cum maiorem preferat convenientiam. Tum, quia beatitudo in communi nullam habet connexionem cum aliquo bono in particulari, exceptis illis, quae supra relatimus, & alijs similibus.

g. II.

Opposita sententia cum suis fundamentis.

44 **A**dversus nostram assertionem duplex est opposita sententia. Prima defendit, voluntatem esse necessitatam quoad exercitium circa beatitudinem in communi. Pro qua refertur Durandus in 4. dist. 49. quaest. 8. Cui sententiae affinis est modus dicendi Caiet. infra quaest. 10. art. 2. ubi concedit, voluntatem in primo actu, dum pervenit homo ad vsum rationis, vel in quolibet negotio, esse necessitatam quoad exercitium. Secunda docet, voluntatem manere necessitatam quoad specificationem in via ad beatitudinem in particulari. Ita aliqui Theologi, quos suppressio nomine refert Alvarez, 1. 2. disp. 27.

Pro prima sententia, quae procedit contra secundam partem nostrae assertionis: Arguitur primo: Nam ex eo probat Div. Thomas infra quaest. 10. art. 1. alijque in locis, voluntatem in via a nullo obiecto necessitari quoad exercitium, quia potest de quocunque obiecto non cogitare: sed multoties non est in nostra libertate non cogitare de obiecto, ut contingit in Angelo in cogitatione praecedente, & regulante primam eius operationem; & in nobis contingit in cogitatione regulante primam operationem in quolibet negotio: ergo tunc manet voluntas necessitata quoad exercitium.

Et confirmatur: Nam voluntas in primo actu movetur specialiter a Deo, quia non procedit alius actus, a quo moveatur: ergo non est libera quoad exercitium.

Confirmatur secundo: Nam iudicium efficax de amore alicuius obiecti infallibiliter infert ipsam amorem in nostra sententia: sed praedictum iudicium multoties non est in nostra potestate, sed petit a Deo specialiter immitti; & propterea alibi asserimus, Angelum non posse peccare in primo instanti suae creationis, nec hominem in primo instanti metaphysico vsum ra-

tionis, & forte nec in prima operatione in quolibet negotio: ergo tunc manet voluntas omnino necessitata.

Ad argumentum respondetur, rationem, quam loco citato adducit D. Thomas, esse sufficientem ad probandum libertatem voluntatis quoad exercitium, non vero esse adequatam: Quia ad libertatem quoad exercitium sufficit, quod iudicium immisissum a Deo fit indifferens, quamvis praedictum iudicium sit necessarium in essendo, hoc est, quod non sit in nostra potestate habere illud, & non habere.

Ad primam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam, propter duplicem rationem. Prima est: quia voluntas in primo suo actu ita movetur specialiter a Deo, quod non tollit, ut etiam moveat seipsam. Secunda, & praecipua: quia Deus ita movet specialiter voluntatem ad primum actum medio iudicio practico & efficaci, quod pertinet ad actum secundum, quod simul immitrat iudicium indifferens; & hoc est radix libertatis. Et per hoc patet ad secundam. Hec leviter diximus, quia alibi fusius tractata sunt.

45 Arguitur secundo: Nam omnis actus liber debet reduci ad aliquem necessarium, sicut omne variabile & contingens ad aliquid firmum & stabile: ergo omnis actus liber quoad exercitium debet reduci, & supponere aliquem actum necessarium quoad exercitium: ergo voluntas in via manet necessitata quoad exercitium alicuius actus; sed nullus aptior potest excogitari, quam amor beatitudinis in communi: ergo.

Et confirmatur: Nam omnis actus liber in Angelo reducitur ad amorem sui, & Dei Authoris naturalis, qui est necessarius quoad exercitium: ergo etiam in nobis omnis actus liber debet reduci in aliquem actum omnino necessarium.

Ad argumentum respondetur, quod licet omnis actus liber quoad specificationem debeat presupponere aliquem actum necessarium quoad specificationem, ad quem debeat reduci; non tamen oportet, quod omnis actus quomodocunque liber reducatur ad actum omnino necessarium: quia ad stabilitatem naturae sufficit, quod sit determinata ad vnum quoad speciem actus. Et hac ratione omnes actus Angeli in linea supernaturali reducebantur ad amorem Dei finis supernaturalis, qui in primo instanti tantum erat necessarius quoad specificationem. Quod si in ordine naturali omnes actus liberi Angeli reducuntur ad amorem sui, & Dei finis naturalis, qui est necessarius quoad exercitium, est, quia concurrunt speciales rationes, quas adduximus tract. de Angelis disp. 3. dub. 1. a num. 4. quae non habent locum in nobis viatoribus.

46 Arguitur tertio: Nam ita se habet voluntas

in ordine ad ultimum finem, sicut se habet intellectus in ordine ad prima principia: nam, ut docet Arist. 1. Phys. cap. 9. text. 89. & D. Thomas pluribus in locis, finis in practico se habet, sicut principium in speculativo; sed intellectus est necessitatus quoad exercitium ad assensum principiorum, si semel apprehendantur termini: ergo etiam voluntas necessitetur quoad exercitium ad amandum ultimum finem apprehensum per intellectum. Maxime: quia potest intellectus proponere aliquod obiectum, quin proponat in illo, aut in exercicio circa illud aliquam rationem mali.

Ad argumentum respondetur, esse notam disparitatem inter voluntatem, & intellectum: nam intellectus ex vna parte non est ex potentia libera; & ex alia parte universalissima principia sunt perse nota; vnde si termini apprehendantur, ex necessitate intellectus assentit illis. At voluntas ex se est potentia libera, etsi obiectum, quodcumque illud sit, proponatur cum aliqua indifferentia, tendit in illud cum proportionata indifferentia, nullum autem est obiectum, in quo, si ve exercicio erga illud, non appareat aliqua ratio mali; vel quod non possit proponi cum aliqua indifferentia. Vnde paritas solum tenet quoad alia. Ad additamentum satis constat ex dictis in limite dubij.

47 Arguitur quarto: Nam in pueris, & amentibus sunt aliqui actus intellectus, & voluntatis, qui sunt omnino necessarii; & tamen de aliquibus habent perfectam cognitionem: ergo etiam in nobis viatoribus possunt esse actus omnino necessarii, etiam praecedat cognitio perfecta. Minor patet: quia discunt, discunt artes, & alia huiusmodi.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem, propter D. Thomam, qui dormientibus (& par ratio est de amentibus, & pueris) concedit aliquos actus intellectus; & si hos concedit, concedere tenetur aliquos actus voluntatis. Caeterum praedicti actus voluntatis sunt omnino necessarii: quia actus intellectus, ex quibus procedunt, sunt imperfecti. Et propterea eandem rationem motus primo primi in nobis nulla gaudet libertate.

Fundamenta pro secunda sententia nobis opposita vacant difficultate. Videatur (placet) Alvarez in hac 1. 2. disp. 27.



DISPUTATIO III.

De Involuntario.

Rostquam D. Thom. tribus primis articulis rationem voluntarij nobis exposuit, in quinque sequentibus agit de involuntario. Et merito: nam contrariorum eadem est ratio; & natura vnius contrarij magis notificari solet per suum oppositum. At quia voluntarium causatur ex duplici principio, videlicet ex appetitu operante, qui est principium intrinsecum, & ex cognitione dirigente; oportet, quod involuntarium sit id, quod causatur ex oppositis principijs, scilicet, vel quia operatio est a principio extrinseco, ut contingit in his, quae ex violentia, & metu sunt; aut quia tollitur, aut ligatur cognitio, ut fit per ignorantiam, & passionem. Et de his quatuor causis suo ordine agendum est a nobis cum D. Thoma in hac disp.

DUBIUM I.

An voluntas possit pati violentiam a Deo, vel ab alia causa?

Prima, & praecipua causa involuntarij est violentia, seu coactio, & propterea haec disputatio ortum sumit a violento. Sed ante dubij resolutionem oportet, ad naturam violenti declarandam, nonnulla praenotare.

g. I.

Quaedam notanda.

Nota primo, quod haec quatuor nomina necessarium, violentum, coactum, involuntarium, licet videantur aliquando confundi, & pro eodem accipi, revera differunt secundum diversas formalitates. Nam necessarium importat determinationem ad vnum, excludendo facultatem ad oppositum; & hac ratione opponitur indifferenti ad vtrumlibet. At quia comprehendit plures actus voluntarios simpliciter, ut disp. 1. dictum est, propterea distinguitur a violento, coacto; & involuntario tanquam quid superius a suis inferioribus: nam omne violentum, coactum, & involuntarium est necessarium, sed non e converso.

Violentum supra determinationem ad vnum, quod importat necessarium, addit quod sit a principio extrinseco. Coactum idem sonat, ac violentum; sed proprie loquendo coactum so-

solum opponitur spontaneo, & voluntario, ideoque solum invenitur in cognoscendis, sed violentiam etiam in rebus inanimatis, ut cum lapis projicitur sursum. *Involuntarium* distinguitur a coacto, & violento: quia extenditur ad plures actus, qui procedunt ex ignorantia, & non sunt violenti. Sed, re bene perpena, possunt comparari adinvicem tanquam excedens, & excessum: nam iuxta dicta *involuntarium* plus importat in tota sua latitudine, quam *violentiam*. Sed ex alia parte *violentiam* videtur superexcedere *involuntarium*: quia involuntarium solum dicitur de his, qui habent appetitum elicatum, & *violentiam* invenitur etiam in inanimatis.

2. Nota secundò, violentiam recte diffiniri à Theologis per hoc: *Quod est à principio extrinseco, passio non consentiente vim*: Quæ diffinitio desumitur ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. eamque admittunt Damascenus, Nilenus, & Div. Thomas. In qua diffinitione continentur duæ conditiones requisite ad rationem *violenti*: Prima est, quòd principium violentie fit extrinsecum; nam si est intrinsecum, est naturale. Secunda est, quòd subiectum, cui fit violentia, non solum non conferat vim, hoc est, non fluat per suam virtutem, sed etiam positive resistit, & repugnet. Et sic exponunt communiter Authores illas particulas diffinitionis: *passio non consentiente vim*; aliàs lux recepta in aère, & gratia in anima essent violentæ: quia proveniunt omnino à principio extrinseco, & subiectum nullam conferat vim ad earum receptionem. Hinc manet explicata bonitas prædictæ diffinitionis: nam per illam particulam, *quod fit à principio*, convenit cum voluntario; & per subsequentes distinguitur ab illo.

3. Nota tertio, ad hoc ut aliquid sit proprie violentum, sufficere, quòd, resistentia sit passiva; quod tunc contingit, quando aliquid fit contra eius inclinationem naturalem. Ita expressè colligitur ex D. Thomà in præsent. art. 4. ad 2. ubi ait, quòd motus violentus fit contra interiorum inclinationem passivam; & quòd alterationes, & corruptiones simplicium corporum sunt naturales, propter naturalem aptitudinem interiorum materia, vel subiecti. Et probatur à fundamento contrario, quo videtur Vazquez docens oppositum modum dicendi: Nam materia prima, quæ est principium passivum, est natura, ut tradunt Nostri Complutenses abbreviati in lib. Physic. disp. 7. quæst. 2. sed violentum est illud, quòd est contra naturam; ergo ad rationem violenti sufficit, quòd natura habeat resistentiam passivam.

4. Nota quarto, quòd, cum violentum sit, quòd est contra rei inclinationem, oportet distinguere in qualibet re duplicem inclinationem (ut cum maiori distinctione procedamus) aliam universalem, per quam propendit in id, quòd

de ea Deus disponere vult, & aliam particularem, per quam propendit in bonum proprium, & particulare; sicut qualibet res habet duplicem inclinationem; aliam, secundam quam propendit secundum esse particulare in proprium bonum; & alteram secundam quam propendit in bonum universi: ut aqua, præter inclinationem quam habet ratione gravitatis ad descendendum, habet aliam inclinationem fortiori ad ascendendum propter bonum universi, ne detur vacuum. Titulus ergo quæstionis intelligendus est de voluntate secundum utranque inclinationem.

5. Nota quinto, violentiam esse duplicem, aliam sufficientem, absolutam, & præcisam, quæ à D. Thomà in 2. dist. 25. art. 2. dicitur *compulsio*, quia totaliter cogit subiectum ad violentam receptionem: alteram insufficientem, & conditionatam, quæ vocatur à D. Thomà *impulsio*, quia licet impellat, & inclinet subiectum, non tamen totaliter cogit. Et de prima agimus in præsent. Ad quam tripliciter potest voluntas comparari, vel in elicendum proprium actum, vel in cessando ab omni actu, seu ab aliquo actu ipsa resistente, vel in actibus imperatis. Ex de his omnibus procedit difficultas.

S. II.

Prima assertio.

6. Dicendum est, voluntatem non posse à Deo violentiam pati. Hæc conclusio colligitur ex Scriptura, negante creaturam aliquam posse resistere voluntati Dei: ut ex illo Esther 13. *Non est, qui possit resistere voluntati tue*; sed nequit dari violentum, nisi adsit resistentia ex parte passivi: ergo voluntas non potest pati violentiam à Deo. Idem colligitur ex D. Augustino lib. 26. contra Faustum cap. 3. ubi ait: *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id enim erit cuiusque naturale, quòd ille fecerit, à quo est omnis numerus, & ordo nature*. Similia verba habet D. Thomas quæst. 1. de Pot. art. 3. ad 1.

Et probatur ratione deducta ex D. Thomà, tum loco citato tum, 3. Contra gent. cap. 100. tum denique 1. part. quæst. 105. art. 6. ad 6. Et reducitur ad hæc formam: Nam contra rationem violenti est, quòd sit secundum præcipuam inclinationem nature; sed quidquid Deus operatur in voluntate, & in qualibet creatura, est iuxta præcipuam eius inclinationem; ergo Deus nequit violentiam inferre voluntati, aut alteri creatura. Maior patet: nam id, quòd est iuxta inclinationem præcipuam nature, quamvis sit contra eius minus principalem inclinationem, nequit dici violentiam simpliciter; quia denominatio hæc debet desumi per ordinem

nam ad superiorem, principalem, & fortiorem inclinationem, licet possit dici violentiam secundum quid per ordinem ad inclinationem minus principalem. Et potest illustrari aliquibus exemplis: nam dum pes movetur sursum in virtute potentie locomotive, hic motus absolute est naturalis, & non violentus, quia est iuxta eius præcipuam inclinationem, secundam quam, ut pars hominis, obedit universali potentie totius; quamvis possit dici violentus secundum quid, in quantum opponitur inclinationi minus principali, quæ est in illo ratione gravitatis. Idem apparet in aqua, dum ascendit sursum ad replendum vacuum; cuius motus est naturalis, quia est iuxta potentior, & superiorem inclinationem, quam habet ut pars universi ad bonum illius; licet sit violentus secundum quid, quia opponitur specialis, & propriae eius inclinationi, quæ est in illa ratione gravitatis. Idemque conat in motu maris per fluxum, & refluxum, quo videtur D. Thomas locis supra relatis.

Minor verò probatur: nam in qualibet re, præter propriam inclinationem, quæ tendit in bonum proprium, & particulare, datur alia fortior, & potentior ad obediendum Deo in omni eo, quòd Deus vult in ea, & de ea facere: ergo quidquid Deus operatur in voluntate, & in qualibet creatura est iuxta eius præcipuam inclinationem. Antecedens probatur: nam in qualibet re, præter inclinationem quam habet ad bonum proprium, & particulare, adest alia tendens ad bonum totius vel universi, ut liquet ex exemplis proximè relatis, ex quibus hæc ultima est præcipua, ut potest fortior, & potentior: ergo potior titulo debet in qualibet re concedi præter inclinationem ad bonum particulare; alia ad obediendum Deo ut auctori universali nature, quæ sit fortior, potentior, & præcipua.

Respondet Vazquez, negando, in creaturis universalem inclinationem ad bonum universi, & ad obediendum Deo. Eò quòd aqua (v. g.) magis propendit ad bonum proprium, quam ad alienum iuxta illud axioma: *Amabilia ad alterum ex amicitibus ad se*: & *Propter quòd unumquodque tale, &c.* Maxime quia natura esset sibi contraria, si haberet inclinationes inter se oppositas, v. g. ad ascendendum, & descendendum. Vnde ait duplicem illam inclinationem esse vulgariam Philosophorum signum.

Sed hæc evasio ex eo tantum debet rejici, quia parvipendit doctrinam, quasi vulgariam Philosophorum, quam D. Thomas, Scolasticorum Theologorum Princeps, toties agnovit, ut videri potest locis supra relatis. Nec Scotus nobis contrarius ausus est in aqua, illam duplicem inclinationem negare in 2. dist. 19. §. Ad primum argumentum, aliisque in locis.

Paul. T. beol. Salm. Tom. II.

Deinde rejicitur à ratione, desumpta ex D. Thomà 1. part. quæst. 60. art. 5. Nam quòd est alterius, maiorem habet inclinationem in id, cuius est, quam in bonum proprium; sed quælibet creatura est pars universi, & aliquid Dei: ergo maiorem inclinationem habet in bonum universi, & ad obediendum Deo, quam ad bonum proprium, & particulare. Maior probatur, primò exemplo manus; quo videtur D. Thomas ibi) quæ seipsam naturatim exponit scitu ad conservationem totius corporis. Secundò exemplo virtuosi civis (cuius etiam meminit D. Thomas) qui se exponit mortis periculo pro tota Republica tuenda. Tertio, exemplo Angelis, qui plus diligit Deum, quia est aliquid Dei, quàm seipsam; ad quam doctrinam inferendam præmittit duo exempla relata. Ergo quòd est alterius, maiorem inclinationem habet in id, cuius est, quam in bonum proprium.

Neque ea, quibus prædicta evasio fulciatur, aliquid favent. Non prima: quia bonum particulare parvis est propter bonum totius, ad hoc quæ ordinatur, & hac ratione pars non diligit bonum proprium, nisi propter bonum totius, & propter quòd unumquodque tale, & illud magis. Nec secundam: quia inclinatio ad bonum particulare subordinatur inclinationi ad bonum universi, & propterea nullam dicunt oppositionem inter se. Ex quibus potest subsuim nova, & vrgens impugnatio adversus prædictam evasionem: Nam omnis creatura maiorem inclinationem dicit ad finem, quàm ad media; sed bonum universi, & bonum divinum sunt finis bonorum particularium, ad quæ creaturæ secundum peculiare earum naturas inclinatur: ergo.

8. Secundò potest responderi cum Montesi no, Medina, & Scotitis, quòd Deus potest comparari ad creaturas, vel ut agens universale, quatenus respicit bonum universi, vel ut agens particulare ob aliquem finem sibi specialem. Si consideretur primo modo, nulli creaturæ inferret violentiam, bene vero secundo modo, sicut inferret quodlibet aliud agens particulare.

Sed contra est: Nam Deus nihil operatur in creaturis nisi ut supremus Dominus, & propter universalsimum finem, qui est extensio sue bonitatis; sed omnis creatura maiorem inclinationem dicit ad hunc finem, quàm ad bonum proprium & particulare: ergo in omni eo, quòd Deus velit operari in creatura, nequit pati violentiam à Deo. Minor liquet ex proximè dictis, quia ipsa creatura, & quidquid in ea fit à Deo, ordinatur ad prædictum finem.



§. III.

Secunda assertio.

9 Dicendum est secundò, voluntatem non posse pati violentiam adhuc secundumquid in elicendis suis actibus. Hæc assertio communiter traditur à Theologis Pro qua referuntur D. Thomas in præf. art. 4. Scotus in 2. dist. 37. §. Contra istam opinionem. licet P. alijque in locis, Vazquez, Lorca, quibus suffragantur N. Salm. in præf. disp. 5. dub. 3. n. 30. ¶ Sed antequam ratione, aut autoritate fulciatur, duo sunt supponenda. Primum est, nullam creaturam posse violentiam nostram voluntatem: quia solus Deus propria virtute potest operari in creatura spirituali, eiusque potentis, ut ostendimus tract. de Angelis disp. 2. à n. 27. & dub. 3. per totum. Secundum est, Deum non inferre violentiam simpliciter ulli creaturæ, qualitercumque illam moveat; ut constat ex dictis §. præcedenti. Et propterea assertio restringitur ad violentiam secundumquid.

Et probatur primò autoritate SS. PP. Nam Augustinus lib. 5. de Civitate Dei, cap. 10. ait: Si aliquid sit voluntate, non sit necessitate, id est, coactè. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 27. inquit: Enim verò cum voluntatem dicimus, non eam coactam, ac necessitate confregistam, sed liberam dicimus. D. Anselmus lib. de Lib. arbitrio cap. 6. Inuitus nemo potest velle aliquid: quia non potest velle nolens velle. Et tandem D. Thomas (relictis alijs Patribus) in præf. art. 4. & q. 2. de Verit. art. 8. inquit: Deus potest immutare voluntatem de necessitate, non tamen potest eam cogere.

10 Deinde probatur ratione D. Thomæ in præf. Nam omnis actus voluntatis est essentialiter voluntarius: ergo nequit esse violentus. Patet consequentia: nam voluntarium, & violentum opponuntur, cum essentialiter habeant conditiones contradictoriè oppositas. Antecedens probatur: nam omnis actus elicitus voluntatis procedit à principio intrinseco cum cognitione; ergo est voluntarius. Antecedens probatur: nam eo ipso, quod sit actus voluntatis elicitus, nequit non procedere ab illa tanquam à principio intrinseco, & vitali, sicut actus elicitus ab intellectu est ab illo tanquam à principio intrinseco; hoc enim est per se notum: deinde in hoc distinguitur appetitus elicitus ab innato, quòd ille est cum cognitione, & iste sine illa: ergo omnis actus elicitus voluntatis procedit à principio intrinseco eam cognitione.

Et confirmatur primò: Nam omnis actus elicitus voluntatis est inclinatio actualis illius; sed actus violentus est contra inclinationem eius, cui est violentus: ergo voluntas nequit violentiam pati in suis actibus elicitis. Maior probatur: nam si voluntas exercetur per voli-

tionem obiecti, plane constat, quòd ipsa violentio est inclinatio actualis illius: si exercetur per nolitionem, ipsa nolitio est quoddam pondus voluntatis ad refutandum; & non minus est inclinatio actualis voluntatis actus, quo refugit malum, quam actus, quo prosequitur bonum: ergo omnis actus voluntatis est inclinatio actualis illius.

Et confirmatur secundò, & simul expenditur autoritas supra adducta D. Anselmi: Nam si actus voluntatis elicitus esset violentus, sequeretur, quòd voluntas nolens velle: nam eo ipso, quòd esset violentus; esset ab extrinseco, & cum resistantia voluntatis, proindeque voluntas esset nolens; & eo ipso, quòd sit volitio, esset volens; hoc autem contradictionem involvit: ergo voluntas nequit violentiam pati in suis actibus elicitis.

11 Respondebis, ex nostra ratione, & confirmationibus sequi appetitum sensitivum, & quamlibet aliam potentiam, maxime vitalem, non posse pati violentiam in suis actibus elicitis; cuius oppositum docet D. Tho. in præf. dum asserit, posse dari violentiam in actibus imperatis à voluntate.

Pro refutatione huius evasionis. Nota, quòd tripliciter loqui possumus de actibus aliarum potentialium, que possunt imperari à voluntate: nam vel possumus loqui de illis respectivè ad potentias, à quibus elicuntur; vel de illis vel imperatis à voluntate; vel denique de illis absolute sumptis, & comparativè ad voluntatem absolute acceptam. Si fermo sit in primo sensu, fatemur, non posse dici violentos. Et hoc persurgit ratio facta: nam omnis actus vitalis potest esse ab intrinseco, & iuxta inclinationem ipsius potentie, à qua elicitur: omnis enim intellectio est iuxta inclinationem intellectus, ab eoque tanquam à principio intrinseco; idemque dicendum est de sensatione, & actu potentie vegetativæ; sed de ratione violenti est, quòd procedat à principio extrinseco: ergo in actibus elicitis à quacunque potentia vitali nequit cadere ulla violentia, quæ sit talis in ordine ad illam. Pariter si fermo sit de actibus imperatis in secundo sensu, id est de illis reduplicativè ut imperatis, non possunt esse violenti: quia de illis est eadem ratio, ac de elicitis, cum actus imperatus ut imperatus sit etiam inclinatio actualis voluntatis. Neque in his duobus sensibus loquitur D. Thomas, dum asserit, actus imperatos posse esse violentos, sed de illis, prout elicuntur à proprijs potentis revertente, & resistente voluntate, prout infra magis explicabitur.



§. IV.

§. IV.

Tertia, & quarta assertio.

12 Dicendum est tertio, voluntatem posse pati violentiam secundumquid in cessatione à suis actibus elicitis. Hanc assertionem tenent Vazquez, Lorca, Montefinos, Cornejo, & alij, quos citant, & sequuntur N. Salmant. in præf. disp. 5. à num. 35. ¶ In eadem tamen supponimus, voluntatem non posse pati violentiam simpliciter in cessatione à suis actibus elicitis: quia hoc nequit aliter fieri, nisi per subtractionem concursus divini, cum solus Deus influere possit physice intra voluntatem; sed voluntas non potest absolute & simpliciter violentari à Deo, propter intrinsecam dependentiam, quam habet à Deo in operando, & quia præcipua eius inclinatio est ad obediendum Deo, ut §. 2. probatum est: ergo voluntas non potest pati violentiam simpliciter in cessatione à suis actibus elicitis. Et ad hunc præcisè sensum possunt trahi aliqui Authores, qui oppositè sententiæ videntur favere, ut sunt Ioannes à Sancto Thoma disput. 4. à num. 32. Gonet disp. 1. art. 4. §. 3. Unde assertio nostra tantum procedit de violentia secundumquid.

13 Et probatur ratione: Nam tunc voluntas dicitur violentari tantum secundumquid, quando impeditur à propria inclinatione particulari; sed voluntas creata potest à Deo impediri à propria & particulari inclinatione, quam habet ad aliquem actum in particulari, vel ad suum actum vagè, proposito debite obiecto: ergo voluntas potest pati violentiam secundumquid in cessatione à suis actibus elicitis. Maior constat: nam id est violentum, quòd est contra inclinationem rei: & si est contra præcipuam & generalem eius inclinationem, erit violentum simpliciter; si verò est contra eius particularem, & minus præcipuam inclinationem, erit violentum secundumquid: ut liquet in ascensu aque ad replendum vacuum, qui dicitur violentus secundumquid, quia est contra eius inclinationem particularem; est verò naturalis simpliciter, quia est iuxta eius generalem, & superiorem inclinationem ad bonum univèrsi.

Minor verò probatur: Nam voluntas creata, debite proposito sibi obiecto, habet inclinationem ad operandum, item voluntas beati, supposita visione beatifica, habet inclinationem ad amorem Dei, idemque dicendum est de voluntate Angelì ad amorem sui, supposita cognitione sui ipsius; sed Deus potest cum his circumstantijs privare voluntatem omni actu, & etiam actibus particularibus recentis, saltem per subtractionem concursus: ergo voluntas potest à Deo impediri à propria, & particulari inclinatione, quam habet ad aliquem actum

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

vagè, vel ad aliquem actum determinatum.

Et confirmatur hæc ratio: Nam multoties voluntas, sicut alia quævis causa, dicit inclinationem ad concursum Dei, eò quòd ex se est determinata ad aliquam operationem determinatam; sed Deus potest tunc illam suo concursu: ergo contra inclinationem eius particularem ageret Deus subtrahendo suum concursum, & consequenter fiet illi violentia.

14 Respondebis cum Ioanne à Sancto Thoma, & Gonet, quòd voluntas non inclinatur ad operandum, nisi itante motione, & influxu Dei, cum non inclinatur ad operandum, nisi ut causa secunda, & subordinata Deo. Unde, remoto influxu Dei, naturaliter cessat ab operatione: Sicut cælum cessat naturaliter à motu, cessante motione Angelì moventis.

Hæc solutio nequit sustineri, si intendat negare violentiam secundumquid nuper explicatam: Nam pro priori ad influxum Dei per motionem efficacem, de qua solum potest loqui prædicta evasio, voluntas beati in irruente visione beata habet inclinationem ad amorem Dei, & ad influxum ipsius Dei, aliàs nulla potentia, quantumvis determinata, pro priori ad influxum Dei haberet inclinationem ad actum secundum, nec ad influxum ipsius Dei, & sic ignis, passo debite approximato, non diceret inclinationem ad calefaciendum, & comburendum: ergo contra hanc inclinationem particularem ageret Deus, si negaret suum concursum ad prædictos actus.

15 Dicendum est quarto, voluntatem posse pati violentiam in ordine ad recipiendam aliquam formam. Et probatur breviter: nam tunc voluntas patitur violentiam in recipiendo aliquam formam, quando resistit appetitui elicito tali receptioni; sed potest Deus infundere voluntati, aut alteri potentie, ipsa voluntate resistente actu elicito, aliquam formam; quia hoc ex nullo capite repugnat: ergo voluntas potest pati violentiam in ordine ad recipiendam aliquam formam.

Nota tamen, nullam violentiam fieri tunc contra appetitum innatum ipsius voluntatis: quia omnis habitus, qui à Deo potest infundi voluntati, est perfectio illius, & in ordine ad suum obiectum specificativum; sed voluntas nullam resistantiam innatam dicit ad receptionem prædictæ perfectionis: ergo talis forma non est violenta in ordine ad appetitum innatum.

§. V.

Ultima & quinta assertio.

16 Dicendum est ultimo, voluntatem posse pati violentiam in ordine ad actus imperatos ab alijs tamen potentis elicitos; secus verò in ordine ad actus imperatos,

& simul à seipsa elicitos. Assertio hæc quoad secundam partem fati constat ex dictis in secunda, & tertia assertionione: quia, cum hi actus eliciantur à voluntate, verè & proprie computandi sunt inter actus ab ea elicitos: ergo idem iudicium ferendum est de illis, ac de actibus vnice elicitis, & nullo modo imperatis, tam quoad elicentiam eorum, quam in cessatione illorum. Vnde quia electio mediorum est actus propriè elicitus à voluntate, & consequenter inclinatio actualis illius procedens à principio intrinseco, quamvis imperetur ab intentione finis, nequit esse violentus voluntati.

Quoad primam, partem quæ traditur expressè à D. Thoma in præf. art. 4. probatur ratione, & experientia: Nam tunc debet dici voluntas pati violentiam in suis actibus imperatis, quando hi fiunt, vel suspenduntur contra naturalem eius inclinationem; sed experientia constat, quod actus alicuius potentie subditæ imperio voluntatis fiunt, aut suspenduntur contra naturalem eius inclinationem, vt cum oculi alicuius nolentis efficaciter videre, vi apperuntur, aut volentis efficaciter videre, vi clauduntur: ergo potest pati violentiam in actibus imperatis, elicitis tamen ab alia potentia. Vnde quamvis D. Thomas in præf. tantum ponat exemplum in actibus à membris exterioribus elicitis, quæst. 22. de Verit. art. 5. ad 3. extendit ad intellectum, & 22. quæst. 175. art. 1. ad 2. extendit ad appetitum sensitivum.

17 Nota tamen pro intelligentia ad æquata assertionionis, duplex esse genus potentiarum in homine: aliz enim sunt, quæ non subdantur imperio voluntatis, vt potentia nutritiva, & augmentativa, & aliz similes. Aliz sunt, quæ subdi possunt imperio illius, vt intellectus, appetitus sensitivus, & locomotiva. Inter quas hoc est discrimen, quod actus illarum potentiarum, quæ non sunt subditæ voluntati, non possunt dici violenti, nec in ordine ad ipsas potentias, à quibus elicuntur, nec per ordinem ad voluntatem. Ratio primi fati constat ex dictis num. 11. nam prædicti actus procedunt ab intrinseco ab ipsis potentijs, & iuxta inclinationem earum: nequeunt ergo esse violenti in ordine ad potentias elicivas eorum, quia violentiam habet oppositas condiciones. Ratio secundi est: quia non est in eis inclinatio ad obediendum voluntati, neque voluntas habet vllum imperium supra eas: ergo non possunt dici violenti per ordinem ad voluntatem, quamvis velit eis carere. Ideoque non fit ei violentia sumpto cibo nutriti, quamvis id non veller. Imò nec supposito: quia supposito non fit violentia, nisi in quantum est contra inclinationem particularem harum potentiarum, vel contra inclinationem vniversalem totius suppositi, qualis est voluntas: si ergo prædicti actus non sunt violenti per ordinem ad suas potentias elicivas, nec per ordi-

nem ad voluntatem, non est vnde dicantur violenti supposito. Possunt tamen esse violenti præsuppositivè respectu voluntatis, in quantum quis cogit manducare; ex quo sequitur nutritio, contra eius imperium. Item prædictæ potentie possunt pati violentiam quantum ad cessationem à suis actibus, modo præscripto in tertia assertionione, quia quantum ad hoc eadem ratio est de illis, ac de voluntate.

18 Cæterum actus illarum potentiarum, quæ nata sunt obedire voluntati, possunt esse violenti; & tunc sunt violenti primò voluntati, secundò supposito operanti; tertio ipsis potentijs elicentibus. Sunt imprimis violenti voluntati: quia fiunt contra eius inclinationem, & imperium efficacem. Deinde sunt violenti supposito operanti: quia voluntas est inclinatio præcipua & generalis totius suppositi habentis per eam dominium in cæteris: ergo si prædicti actus fiunt contra inclinationem voluntatis, & illi violenti, etiam debent esse violenti tali supposito. Tandem sunt violenti ipsis potentijs elicentibus: quia in eis est duplex inclinatio, vna specialis in ordine ad bonum proprium, & particularem, hoc est, ad proprium actum; alia vniversalis in ordine ad obediendum voluntati propter bonum totius suppositi: sicut, proportionate servata, in omni creatura est duplex inclinatio, vna specialis ad proprium bonum; alia vniversalis ad bonum vniversi, & ad obediendum Deo in omni eo, quod Deus voluerit: & sicut in creatura hæc posterior inclinatio est præcipua, vt potè fortior & potentior, pariter inclinatio harum potentiarum ad obediendum voluntati est præcipua: ergo sicut in creatura id est violentum illi absolute, & simpliciter, quod est contra illam vniversalem inclinationem; pariformiter id erit violentum simpliciter potentijs illis, quæ nata sunt obedire voluntati, quod est contra eius generalem inclinationem ad obediendum illi. Vnde prædicti actus, quando sunt contra inclinationem voluntatis, possunt dici naturales, aut voluntarij secundum quædam, quia sunt iuxta inclinationem specialem suarum potentiarum; sed dicendi sunt violenti simpliciter, quia sunt contra earum præcipuam inclinationem.

§. VI.

Argumenta contra primam assertionem

19 **C**ontra præfatas assertiones plures possunt referri sententia. Nam contra primam absolute afferunt Vazquez in præf. disp. 25. cap. 4. Salas disp. 2. sect. 5. Valentia disp. 2. quæst. 1. punct. 3. & alij ex Societate, voluntatem, & quamlibet aliam creaturam pati violentiam simpliciter, dum moventur à Deo contra proprias inclinationes. Quem modum

dum dicendi Medina super hunc art. 4. Montef. disp. 10. quæst. 2. temperant, discentes pati violentiam, dum moventur à Deo vt ab agente particulari, secus verò si operatur in eis vt agens vniversalis. Pro qua sententia:

Arguitur primò: Nam Deus operatur multoties contra naturas rerum, vt docet D. Thomas quæst. 7. de Pot. art. 1. ad 1. & de Verit. quæst. 13. art. 1. sed id est violentum, quod est contra naturam rei: ergo voluntas, & quamlibet alia res possunt à Deo pati violentiam simpliciter. ¶ Confirmatur primò: Deus producit cum causis secundis plures effectus, qui sunt simpliciter violenti rebus; sed Deus potest se solo producere tales effectus: ergo potest causare violentiam simpliciter in rebus. ¶ Confirmatur secundò: Quia Deus multa operatur resistentem passo, vt quando divisit mare rubrum ad transitum populi Israël, & fecit aquas sursum stare, renitente earum inclinatione ad descendendum: ergo talis effectus sunt violenti.

Ad argumentum respondetur cum D. Thoma loco in argument. citato de Pot. vbi nostram sententiam probat, & seipsum explicat his verbis: *Sicut per virtutem celi potest aliquid fieri contra hanc naturam particularem, nec tamen hoc est contra naturam simpliciter, quia hoc est secundum naturam vniversalem; ita in virtute Dei potest aliquid fieri contra naturam vniversalem, quæ est ex virtute celi; non tamen erit contra naturam simpliciter, quia erit secundum naturam vniversalissimam, quæ consideratur ex ordine Dei ad omnes creaturas.* Vnde in præf. adducitur D. Thomas pro opposita sententia.

Ad primam confirmationem: Respondetur, quod effectus, quem Deus producit vnà cum causa secunda, non dicitur violentus respectivè ad Deum, sed præcise per ordinem ad causam particularem. *Maximè*: quia licet prædictus effectus adhuc esset violentus respectivè ad Deum, quando operatur cum causis secundis, secus verò, quando se solo produceret talem effectum. Et ratio discriminis est: quia concursus Dei, dum operatur cum causis secundis, modificatur in illis; ideoque non exercet omnino absolute suum supremum dominium supra creaturas. Cæterum, dum se solo producit huiusmodi effectum explicat magis suum supremum dominium in creaturis; ideoque non fit eis violentia, quamvis talis effectus sit contra inclinationem particularem naturæ. ¶ Ad secundam respondetur, quod Deus non producit illos effectus resistentem passo secundum præcipuam suam inclinationem, quamvis resistat secundum inclinationem particularem.

20 Sed dices: In aqua non est inclinatio ad descendendum, & ascendendum secundum diversas inclinationes ad bonum proprium, & ad bonum vniversi: ergo nec in creatura est

illa duplex inclinatio inter se opposita ad bonum proprium, & ad id, quod velit Deus in ea facere. Antecedens probatur: Tum quia prædictæ inclinationes sunt inter se oppositæ; sed non sunt concedendæ inclinationes oppositæ in eadem re: ergo. Tum etiam: nam si in aqua esset inclinatio ad ascendendum, ne datur vacuum, non gravitaret, nec niteret deorsum; sed hoc est falsum, & contra experientiam; siquidem dum ascendit aqua per fistulam respiratorie illam attrahente, quo plus aqua ascendit, eò magis fistula gravat manum: ergo. Tum denique: nam si in aqua esset inclinatio ad ascendendum ad vitandum vacuum, daretur in ea aliqua virtus activa concurrens ad talem motum; sed hoc est inauditum: ergo.

Ad hoc respondetur negando antecedens. Ad primam eius probationem fati constat ex dictis num. 7. Nam inclinatio, quam habet aqua ad descendendum, quodammodo subordinatur alteri inclinationi ad bonum vniversi, sicut inclinatio parvis ad bonum proprium particularem subordinatur ad bonum totius. Ad secundam respondetur, negando sequelam maioris: Quia, adhuc dum ascendit ad replendum vacuum, conservat suam specialem inclinationem ad descendendum, & per eam resistit motui sursum; sed quia inclinatio ad replendum vacuum est potentior, & prædominans, devincit illam. Et hinc oritur, quod huiusmodi motus est naturalis, & violentus; naturalis simpliciter, quia est iuxta eius præcipuam inclinationem; & violentus secundum quid, quia est contra eius peculiarem, & minus principalem inclinationem. Ad tertiam respondetur, quod, vt motus sit naturalis, non requiritur semper in subiecto virtus activa adhuc per modum emanationis, sed sufficit potentia passiva; vt liquet in materia prima.

21 Arguitur secundò: Nam alligatio demonum ad ignem est illis violenta; & tamen causatur à Deo immediatè: ergo voluntas potest à Deo pati violentiam. Maior probatur primò: quia illa alligatio habet rationem pænæ; sed de ratione pænæ est, quod fit contra voluntatem: ergo est violenta. Secundò: Quia demones omnino inviti detinentur in prædicto loco, renitentes quantum possunt: ergo. Tertio: Quia resistunt illi alligationi per effectum peccaminosum nullo modo subiectum Deo, nec inclinationi, quæ est in omnibus rebus ad obediendum Deo: ergo est simpliciter violenta ratione prædicti affectus.

Ad hoc argumentum respondetur, iuxta dicta ad primam confirmationem primi argumenti, quod prædicta alligatio non fit à Deo se solo, sed mediante igne tanquam instrumento; & hac ratione, sicut est violenta, prout causatur ab igne vt ab agente particulari, etiam est violenta, prout causatur à Deo, quia eius concur-

curfus modificatur in igne, & non explicat suam supremam dominium, ac si se solo faceret illam alligationem. *Vel dic*, quod est violenta, prout causatur à causa particulari, secus verò prout causatur à Deo: quia etiam in demonibus adest illa inclinatio universalis, quæ inest omnibus rebus ad obediendum Deo. ¶ Ad primam probationem respondetur, quod ad rationem non patet sufficere, quod sit contra inclinationem particularem eorum volutaris; ex quo tantum potest deduci, quod est violenta secundum quid. Per quod patet ad secundam. Ad tertiam respondetur, ex ea tantum sequi, quod illa alligatio sit violenta, quatenus ei resistit appetitus elicitus, & appetitus innatus particularis. Sed utriusque prædominatur appetitus innatus ad obediendum Deo. Et quia prædicta alligatio est iuxta huius inclinationem, nequit dici violenta simpliciter, quamvis sit violenta secundum quid, prout resistunt ei priores inclinationes.

S. VII.

Argumenta contra secundam assertionem.

22 **C**ONTRA secundam assertionem sentit Angelus in suis Moralibus cap. 3. cui aliquo modo suffragatur Felix in suo tract. de Actibus humanis, cap. 3. num. 5. ubi ait, quod voluntas pateretur violentiam, si quando vult cessare à suo actu elicitio, Deus negaret ei suspensionem sui concursus, siue qua non potest cessare. Pro qua sententia arguitur primo: Nam voluntas potest necessitari à Deo in ordine ad aliquod obiectum, quod ex se petit amari libere: ergo etiam potest pati violentiam in suis actibus elicitis. Antecedens à nemine negatur: quia Deus potest impedire indifferentiam iudicij, & loco eius immittere iudicium determinatum. Consequentia verò probatur: Tum apparere: nam si potest necessitari à Deo tanquam à principio extrinseco in actibus elicitis, non est cur non possit ab eo violentari. Tum etiam, nam voluntas est inclinata ad amandum libere, imò potest resistere, & conari ad oppositum eius, ad quod Deus inclinatur voluntatem ergo nihil deest, ut prædictus actus sit violentus.

Respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ad primam probationem est dicendum, esse notabile discrimen inter actum necessarium, & violentum: nam ad actum necessarium sufficit, quod eliciatur à voluntate sine indifferentia iudicij; sed ad actum violentum requiritur, quod actus sit à principio extrinseco. Primum non repugnat actu voluntatis, ut optime supponit argumentum: At secundum ei repugnat: quia omnis actus voluntatis petit essentialiter procedere ab ea, & est inclinatio actualis illius, ideoque nequit esse vio-

lens. Ad secundam probationem: Respondetur, quod cum voluntas sit appetitus elicitus seu modum cuiusdam qualitatis, eo modo quo gratia recipitur in lapide, aut visio. Hoc autem modo actus receptus nullam dicit contrarietatem cum altero actu, nec illi resistit, ut ex se liquet; & his de causis nullus est violentus, maxime elicitus ab ipsa voluntate.

Ad confirmationem respondetur, quod voluntas non potest odio habere proprium esse absolute consideratum, iuxta dicta disp. præced. num. 40. & alibi, licet possit odio habere proprium esse ut affectum aliqua miseria. Sed tunc odium non est violentum: quia procedit ab intrinseco, & quia procedit ex amore suam propterea odio habet illud, ut affectum miseria, quia absolute amat se; ut perspicenti conabitur. Neque est illa implicatio, quod idem obiectum secundum diversas rationes simul possit odio haberi, & amari; sicut Deus simul habet odio Petrum ut peccatorem; & amat illum ut hominem.

Et confirmatur: Nam Deus potest deterrere voluntatem ad odio habendum proprium esse; sed tale odium est violentum, quia est contra naturalem inclinationem ad amandum se ergo.

Ad argumentum respondetur, quod de illo casu tripliciter loqui possumus. Vel ita, quod voluntas simul elicit illam duplicem actum; vel ita, quod successive illos elicit; vel ita, quod unum elicit, & alterum tantum recipiat, si sermo sit de illis in primo sensu, casus est impossibilis: quia repugnat, quod idem obiectum sub eodem motivo, & sub eadem ratione simul ametur, & odio habeatur. Et licet contraria per potentiam Dei absolutam possint coexistere, secus verò ea que important oppositionem contradictoriam, ut mille exemplis confirmari potest; & ita se habent amor, & odium eiusdem obiecti sub eodem motivo, quia unum infert negationem alterius, nō minus proprie, ac motus sursum infert negationem motus deorsum. Sed dato, quod prædicti actus possent simul elici à voluntate, nullus esset violentus; quia uterque est ab intrinseco inclinatio actualis voluntatis.

Si sermo sit de illis in secundo sensu; nulla sit violentia, sed tantum mutatio de uno actu in alium; quod quotidie fieri videmus absque ulla violentia. Pro quo videndus est D. Thomas quæst. 22. de Verit. art. 8.

Si sermo sit de illis in tertio sensu, casus est impossibilis: quia repugnat, actus vitales à solo Deo intundi; quidquid dicant Scotistæ. Sed dato per impossibile, quod prædictus actus posset infundi à Deo solo; adhuc actus elicitus à voluntate (de quo solum debet procedere argumentum, quia questio tantum procedit de actibus à voluntate elicitis) non esset violentus ex duplici capite: primo propter rationem proximè traditam, videlicet, quia procedit ab intrinseco per modum inclinationis actualis. Secundo, quia, ut optime notat Ioannes à Sancto Thoma in præf. num. 25, ille actus non recipitur in voluntate sub denominatione amoris, aut odij: quia

quia sub hac denominatione petit procedere à voluntate, sed tantum recipitur in ea per modum cuiusdam qualitatis, eo modo quo gratia recipitur in lapide, aut visio. Hoc autem modo actus receptus nullam dicit contrarietatem cum altero actu, nec illi resistit, ut ex se liquet; & his de causis nullus est violentus, maxime elicitus ab ipsa voluntate.

Ad confirmationem respondetur, quod voluntas non potest odio habere proprium esse absolute consideratum, iuxta dicta disp. præced. num. 40. & alibi, licet possit odio habere proprium esse ut affectum aliqua miseria. Sed tunc odium non est violentum: quia procedit ab intrinseco, & quia procedit ex amore suam propterea odio habet illud, ut affectum miseria, quia absolute amat se; ut perspicenti conabitur. Neque est illa implicatio, quod idem obiectum secundum diversas rationes simul possit odio haberi, & amari; sicut Deus simul habet odio Petrum ut peccatorem; & amat illum ut hominem.

Adversus tertiam conclusionem videtur sentire Ioannes à Sancto Thoma, & Gonet locis relatis num. 12. cuius unicum fundamentum manet præoccupatum ex dictis num. 14.

Adversus quartam, & quintam nulla exat opposita sententia, necque adest aliquod argumentum, quod ex dictis pro alijs non possit facile enodari.

DUBIUM II.

An, & quomodo ex metu facta sint mixta ex voluntario, & involuntario?

24 **S**ECUNDA causa involuntarij est metus; & de hoc agimus cum Div. Thoma in præf. art. 6. Metus autem potest distinguere ex Div. Thoma infra quæst. 41. per hoc quod est passio, qua refugimus malum futurum, cui resisti non potest. Per quam distinctionem metus distinguitur à tristitia: quia hæc est de malo præfenti. Dividitur tamen in metum eadentem in constantem virum, & in metum eadentem in virum inconstantem. Primus dicitur quem prudentes cum recta ratione habent. Pro quo quinque conditiones assignantur. Prima est, quod timeatur grave malum. Secunda, quod causa inductiva mali gravis graviter inducat ad tale malum. Tertia, quod minitans sit potens minus executioni mandare. Quarta, quod sit sollicitus ita exequi. Quinta, & ultima, quod malum prædictum à timente non possit facile evitari. Malum autem grave illud censetur, quod personam propriam, vel honorem, vel fortunas notabiliter lædit: ut in persona mors propria, verbera, carcer, servitus, exilium, aut famæ læsiva salutis: & in honore, gravis infamia, vel iactura pudoris, aut quidquid turpe

apud probos reputatur. In fortuna, ut proscriptio, aut confiscatio bonorum, aut talis diminutio, quod non potest sine illis decenter in suo statu sustentari. Hæc enim mala censentur ita gravia, ut etiam à cordatis, fortibus, & virtuosius viris prædenter timeantur, & eorum metus dicitur cadens in constantem virum. Metus autem viri inconstantis erit, cui aliqua ex prædictis conditionibus defuerit.

25 Sciendum tamen primo, aliud esse operari cum metu, & aliud operari ex metu. Nam tunc aliquis operatur cum metu, quando metus ad id non compellit, sed se habet concomitantè præcisè; cuius signum est, quod sic operans vincit ipsum metum; & timorem: ut liquet in Martyribus, qui cum metu, & timore accedebant ad tormenta; sed vincebant metum tormentorum, & paciebantur non ex metu, sed ex amore; & obedientia Dei. Idem apparuit in spe, quæ solet habere metum adiunctum; & tamen non operatur ex metu, sed potius vincit metum; alias si vinceretur à metu, non operaretur, ut non raro contingit. Tunc autem aliquis operatur ex metu, quando metum vincit illum compellens ad operandum id, quod non vellet; & tunc metus est causa operationis. Ponamus exemplum in eo, qui tempore temporis projicit merces in mare ob vitandum maius malum, scilicet mortem in propria persona; proculdubio metus huius maius est causa, & compellit ad eligendum minus malum, hoc est, projectionem mercium. Et de hoc secundo metu procedit difficultas, ut titulus illius præfert.

26 Sciendum est secundo, metum aliter concurrere ad operationem ac violentiam. Si quidem violentia, seu causa inducens violentum concurrat in genere causæ efficientis, in quantum effectivè impedit actus imperatos à voluntate, vel applicationem illius; ideoque procedunt prædicti actus omnino ab extrinseco respectu voluntatis. At metus inducit voluntatem ad eligendum consentum, quem alius nollit; & propterea est ab intrinseco: neque inductio hæc fit in genere causæ efficientis, sed præcisè per modum proponentis obiectum terribile, quod obiectivè movet ad prædictum consentum; & hac ratione metus gravis se tenet ex parte obiecti magis, quam ex parte efficientis.

27 Sciendum est tertio, quod in projectione mercium (v. g.) ex metu causata triplex actus voluntatis intervenit. Primus est simplex amor conservandi merces. Secundus est amor efficacis conservandi vitam. Tertius est electio efficacis projiciendi merces ad conservandam vitam, id est, electio minoris mali ad vitandum maius malum; quod medium eligitur, non quia in seipso placeat, sed præcisè ob convenientiam aliquam ad vitandum malum fortius, quod non

eligeretur, si ille finis cessaret. Ideoque primus actus durat adhuc, dum ponitur tertius actus, scilicet electio proiciendi merces: quia nullam dicunt inter se oppositionem, eò quòd non renuntiat ad idem obiectum secundum eandem rationem formalem, vt infra explicabitur. In cuius signum videmus, quòd, qui ex metu operatur, remisit proinde, si forte sit aliqua spes, ad hoc vt cesset causa metus. His itaque premissis:

§. I.

Duplex assertio.

28 **D**icendum est primò, ea, quæ ex metu sunt, esse mixta ex voluntario, & involuntario. Ita D. Thomas in præf. artic. 6. (vbi refert pro hac assertionem Philosophum, & Gregorium Nisenum,) & communiter Theologi. Et probatur ratione: nam id, quod partim est contra inclinationem voluntatis, & partim iuxta illam, est mixtum ex voluntario & involuntario; sed ea, quæ ex metu sunt, partim sunt iuxta inclinationem voluntatis, & partim contra illam: ergo sunt mixta ex voluntario, & involuntario. Minor probatur: nam prociectio mercium (v. g.) est contra illam primam voluntatem, & amorem relictum num. præcedenti, est etiam iuxta voluntatem seu amorem efficacem conservandi vitam, ad quam conservandam assumitur vt medium: ergo partim est iuxta inclinationem voluntatis, & partim contra illam.

Pro recta tamen intelligentia huius assertionis: Nota primò, dum dicimus, operationem causatam ex metu esse mixtam ex voluntario, & involuntario, non accipiendum esse, quasi resultet vna entitas operationis ex pluribus actibus, sicut miscetur liquores; hæc enim esset nimis crassa imagnatio. Sensus ergo est, quòd adsunt ibi duo motiva, aliud retardans, & repugnans prociectiõni mercium; aliud inclinans ad prociectiõnem illarum, scilicet evasio periculi, seu conservatio vitæ, & ex concursu istorum movitorum actio illa evadit mixta ex voluntario, & involuntario. Per quod magis confirmatur assertio nostra, vt ex se liquet.

Nota secundò, quòd obiectum, quod per metam eligitur, vel est bonum, vel est malum. Et si est malum, vel terminat fugam, vel terminat prosecutionem, quatenus conducit ad vitandum maius malum. Si secundum se est bonum, & aliàs conducit ad evadendum aliquid imminens malum; tunc non est necesse, quòd habeat rationem aliquam involuntarij. Et observatio divinæ legis ex metu gehennæ se habet huiusmodi, quæ ita potest apprehendi, vt non apprehendatur aliqua ratio mali. Similiter si terminat fugam, vt cum quis fugit tauri, aut aliud

malum; tunc motus est omnino voluntarius: quia non est contra aliquam inclinationem voluntatis, quamvis ibi admisceatur metus, qui non est tota ratio fugiendi, sed malum, quod apprehenditur. Vnde conclusio nostra solum habet locum, dum obiectum est malum secundum se, solumque ad vitandum maius malum eligitur.

29 **D**icendum est secundò, ea, quæ per metam aguntur, esse simpliciter voluntaria; involuntaria autem solum secundumquid. Ita Div. Thom. cum Philosopho & Gregorio Niseno, & communiter Theologi. Et probatur ratione D. Thomæ: Nam vnumquodque simpliciter esse dicitur, secundum quòd est in actu; & secundum quòd est in potentia, aut apprehensione, tantum secundumquid; sed ea, quæ sunt ex metu, sunt in actu, prout sunt voluntaria, & solum sunt in potentia, seu in apprehensione, prout sunt involuntaria: ergo sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundumquid. Minor probatur: nam sunt voluntaria, & procedunt à voluntate secundum omnes circumstantias hic & nunc occurrentes: quia prociectio mercium (v. g.) hic & nunc eligitur, & executioni mandatur ex imperio efficaci voluntatis: involuntaria verò sunt, prout apprehendantur disconvenientia secundum se præcisè, seu secundum aliquam rationem communem; constat autem, quòd primo modo sunt in actu, & posteriori modo tantum in potentia, vel in apprehensione: ergo sunt in actu, prout sunt voluntaria; & solum sunt in potentia, seu in apprehensione, prout sunt involuntaria.

Et confirmatur: Nam id, quod est iuxta inclinationem efficacem, & contra inclinationem inefficacem est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundumquid; sed ea, quæ sunt ex metu, sunt iuxta inclinationem efficacem, & contra inclinationem in efficacem: ergo sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundumquid. Maior constat: nam inclinatio efficax est principalior & prævalens, & inefficax in comparatione alterius est minus principalis, & secundumquid, & inefficax cedens. Minor verò probatur: nam prociectio mercium (v. g.) est volita efficaciter, & nolita tantum inefficaciter: ergo est iuxta inclinationem efficacem, & contra imagnationem inefficacem.

§. II.

Argumenta contra utranque assertionem.

30 **C**ontra nostras assertiones, nulla militat opposita sententia. Sunt tamen aliqua argumenta, quæ solutione indigent. Et adversus primam arguitur primò. Nam in eo, qui observat legem Dei ob metum inferni, observatio non est mixta ex voluntario, & involuntario:

ratio: ergo fallum est, quòd ea, quæ sunt ex metu, sunt mixta ex voluntario, & involuntario. Antecedens probatur: nam non habet notionem observationis, aliàs talis nolitio esset peccatum, contra id, quòd diffinit Conc. Trident. sess. 6. can. 8. vbi anathematizatur eum, qui assertit, attritionem de peccatis propter metum inferni esse peccaminosam; idemque dicendum foret de observatione: ergo non est mixta ex voluntario, & involuntario.

Ad hoc argumentum satis constat ex dictis num. 28. in secundo notabili, vbi animadvertimus, quòd quando obiectum, quod per metam eligitur, secundum se est bonum, vt in presenti, in eius electione non debet necessario præcedere aliqua nolitio; & propter hanc rationem observatio legis non erit mixta ex voluntario, & involuntario. Sed non propterea corrumpit nostra conclusio, in qua solum est sermo de electione obiecti, quòd secundum se est malum, & nihilominus terminat prosecutionem voluntatis ad vitandum maius malum.

Si verò contingat, quòd, præcedat aliqua nolitio circa opus præceptum, tunc distinctione utendum est: Nam huiusmodi nolitio vel terminatur ad opus vt præceptum, in qua includitur hic actus, *Si non esset infernus, peccarem*; & tunc observatio legis Dei est peccaminosa. Vel terminatur ad opus præceptum secundum se, prout assert aliquid molestiæ & laboris, & præcinit ad præceptum, tunc observatio præcepti est licita, & mixta ex voluntario, & involuntario.

31 **A**rguitur secundò, & erit contra secundam assertionem: Nam Arist. 7. Ethic. cap. 1. ait: *Qui ex metu operatur, simpliciter fortassis invidiosus; nemo namque talium quidpiam expectaret unquam.* Similis modus loquendi habetur apud D. Thomam 2.2. quæst. 142. art. 3. vbi ait, quòd id, quòd fit ex metu, non est simpliciter voluntarium, ad differentiam illius, quòd fit ex concupiscentia: ergo iuxta Arist. & D. Thomam operatio, quæ fit ex metu, non est simpliciter voluntaria.

Et confirmatur primò: Nam metus gravis excusat a culpa non observationem legis, & ita qui non ieiunat, aut omittit sacrum ad vitandum grave dampnum, non peccat; sed non alia ratione potest excusari à culpa, nisi quia est simpliciter involuntaria: ergo operatio facta ex metu non est simpliciter voluntaria.

Confirmatur secundò: Nam plures contractus sunt reipsa invalidi, si ex metu fiunt; sed non alia ratione, nisi quia non sunt voluntarij simpliciter: ergo Maior constat præter alios in Matrimonio, & voto solemni Religionis.

Ad argumentum respondetur, quòd cum Arist. & D. Thomas aiunt ea, quæ ex metu sunt, non esse simpliciter voluntaria, *ly non simpliciter* sumunt contra positive ad aliquid purum, & Paul. Theol. Salm. Tom. II.

impermixtum; & in hoc sensu verum est, quòd ea, quæ sunt ex metu, non sunt simpliciter, id est, pure, seu solum voluntaria, quia sunt mixta ex voluntario, & involuntario.

Ad primam confirmationem non respondetur, quòd non observatio legis propterea culpa vacat, quia leges humanæ, & alique divinæ non obligant, nisi cum absque gravi mali periculo possunt observari, non quia sint involuntaria simpliciter. Ad secundam similiter respondetur, quòd illi contractus, attento iure naturali, essent validi, vt liquet in alijs, quia sunt simpliciter voluntarij. Ius autem positivum rationabiliter potuit illos irritare, & defecto illis irritat ob bonum Reipublicæ; vt plena libertas servetur, & iniuria propulsetur.

DUBIUM III.

Vtrum concupiscentia causet involuntarium?

32 **T**ertia causa, quæ videtur causare involuntarium, est concupiscentia; & de hac agimus in presenti dubio cum D. Thoma art. 7. Nominem autem *concupiscentiam* intelligit D. Thomas, & cum eo Theologi actum appetitus sensicivi, prout versatur circa bonum. Qui actus dupliciter se habere potest ad actum voluntatis, vel antecedenter, quo pacto est causa illius; vel consequenter, & ita est effectus illius. Sensus dubij solum intelligendus est de actu antecedenti: quia de hoc tantum potest esse difficultas, cum sit causa; actus enim consequens, cum supponat actum, nequit causare rationem voluntarij, aut involuntarij.

Pro cuius luce notandum est, iuxta dicta disp. 1. dub. 1. num. 3. & dub. 2. & 3. circa divisionem voluntarij, voluntarium dividi in perfectum, & imperfectum: voluntarium imperfectum est, quòd procedit à voluntate cum cognitione finis materialiter sumpti; perfectum vero petit procedere cum cognitione finis formaliter considerari, ideoque requirit cognitio finis secundum dignitatem, & merita ipsius, & omnium circumstantiarum. Hoc autem subdividitur in liberum, & necessarium liberum petit procedere ex cogitione, vi cuius voluntas maneat indifferens ad vtrumlibet: sed necessarium debet præsupponere cognitionem, vi cuius voluntas maneat determinata ad hoc obiectum, & hunc actum. Quibus suppositis.

§. I.

Triplex assertio.

33 **D**icendum est primò, concupiscentiam augere voluntarium imperfectum. Hæc assertio proculdubio est D. Thomæ in presenti, vbi habetur hæc propositio, KKK

concupiscentia non causa involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium. Angelicum Magistrum sequantur eius discipuli, & communiter Theologi. Et probatur eius ratione: nam id, quod excitat voluntatem, ut cum maiori conatu feratur in obiectum, auget voluntarium; sed concupiscentia antecedens se habet huiusmodi: ergo auget voluntarium; non perfectum; ut infra videbimus: ergo imperfectum. Minor probatur: Tum, quia quanto maior est passio, tanto contra maiori conatu operatur voluntas, ut experientia liquet. Tum etiam: nam cum voluntas conformatur cum appetitu sensitivo, tunc uterque appetitus mutuè ad invicem confortatur, sicut contra, quando hi duo appetitus sunt oppositi circa idem obiectum, unus retardat alium: ergo concupiscentia excitat voluntatem, ut cum maiori conatu feratur in obiectum. Tum denique: maior concupiscentia facit, quod obiectum apprehendatur ab intellectu sub maiori ratione boni, quia offuscatur illum, ne attendat in eo rationem mali, & solum applicat ipsum secundum illam rationem boni, quam voluntas appetit: ergo voluntas ratione concupiscentia maiori conatu tendit in obiectum.

34. Dicendum est secundo, concupiscentiam minuire, imò & aliquando tollere omnino voluntarium perfectum, prout comprehendit liberum, & necessarium. Hanc assertionem docet expressè D. Thomas in præf. ad 3. & infra quæst. 77. art. 6. Et probatur eius ratione: nam de ratione voluntarij perfecti est, quod procedat ex perfecta cognitione finis, & circumstantiarum; sed concupiscentia antecedens minuit hanc cognitionem finis, & interdum tollit, vel impedit eam, ut quotidie experimur: videmus enim, quod ad incrementum, vel decrementum passionis etiam augetur, aut minuitur advertentia in finem, & proportionem mediæ cum illo, necnon in omnes circumstantias, quæ occurrunt; & talis passio ita potest crescere, & aliquando crescere, ut totaliter absorbeat usum rationis, & aliqui fiant amentes: ergo concupiscentia minuit, & aliquando tollit voluntarium perfectum, prout comprehendit liberum, & necessarium. Et de hoc est sermo D. Thomæ locis supra relatis.

Et confirmatur: Nam concupiscentia minuit peccatum, ut docet D. Thomas art. 6. relato ex quæst. 77. & aliquando tollit omnino omne genus peccati: ergo etiam minuit, & tollit voluntarium perfectum, prout comprehendit liberum, & necessarium. Consequencia probatur: siquidem peccatum debet fundari in voluntario perfecto; ideoque bruta non sunt capacia peccati, quia carent hoc voluntario: ergo si concupiscentia minuit, vel tollit omnino peccatum, etiam minuit, vel tollit voluntarium perfectum.

35. Dicendum est tertio, concupiscentiam

non causare involuntarium secundum quid. Hanc assertionem proponimus ad maiorem explanationem primæ; illamque expressè docet D. Thomas in præf. ad 1. & 2. argumentum. Et probatur ratione illius adducta in solutione ad primam: Nam concupiscentia non respicit malum sub ratione mali, sed præcisè bonum delectabile: ergo nequit causare voluntarium secundum quid. Consequencia est evidenter bonæ propterea enim metus causat involuntarium secundum quid, quia eius obiectum est malum repugnans voluntati, & solum eligitur, prout conducit ad vitandum maius malum: ergo ex opposito, si appetitus sensitivus non respicit malum sub ratione mali, nec aliquid repugnans voluntati, nequit causare involuntarium secundum quid. Antecedens verò probatur: Nam, stante passione seu concupiscentia, opus fit cum magna delectatione, nullamque displicentiam causat in voluntate, licet absente passione tale opus repugnare voluntati, ut liquet experientiam dum avarus expendit pecuniam ad consequendam aliquam delectationem, quamvis huiusmodi expensio videatur repugnare voluntati, delectatio verò & amor obiecti concupitæ rapit, & captivat affectum; ut omnem actuale displicentiam absumat; quod non contingit, in his quæ fiunt ex metu: ergo concupiscentia non respicit malum sub ratione mali, sed tantum excitat ad bonum delectabile ut bonum.

Declaratur hoc elegantissimo testimonio D. Thomæ in præf. ad secundum, ubi hæc habet verba: *Dicendum, quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnancia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quæ repudiabat illud, quod concupiscentia agit, sed mutatur ad volendum id, quod repudiabat. Et ideo quod per metum agit, quodammodo est involuntarium; sed quod per concupiscentiam agit, nullo modo. Nam incontinens concupiscentia agit contra id, quod prius proponebat, non autem contra id, quod nunc vult. Sed timidus agit contra id, quod etiam nunc vult. Quid clarius pro prædicta assertionem? Vbi cogitat, quod displicentia, quam opus ex concupiscentia factum asserit, non est in eodem instanti, sed antecederet, aut subsequenter: ut liquet in eo, qui vehementer amore & delectatione allicitur, quæ plura incommoda cum maxima delectatione patitur.*



§. II.

§. II.

Opposita sententia.

36. Contra primam, & tertiam conclusionem sunt aliqui, qui absque vlla distinctione asserunt, concupiscentiam causare involuntarium secundum quid. Ita Angelus in suis Moralibus cap. 3. Conradus, Franciscus Felix de *Actibus humanis* cap. 2. diff. 6. pro quo refert suum Scotum, & aliquos Auctores. Pro qua sententia:

Arguitur primò ex D. Thomæ infra quæst. 77. art. 6. ubi docet, quod passio antecedens minuit peccatum, quia minuit voluntarium; sed non potest minuire voluntarium, nisi aliquo modo causet involuntarium: ergo concupiscentia causat involuntarium secundum quid.

Et confirmatur: Nam voluntarium est, quod est à principio intrinseco cum cognitione, nec est opus, ad quod inclinatur concupiscentia, ex utroque capite est involuntarium: ergo concupiscentia causat involuntarium. Minor probatur quoad primam partem: nam concupiscentia est extra voluntatem: ergo opus, cuius principium est concupiscentia, ex hac parte est involuntarium, hoc est, quia ad aequatè non procedit à principio intrinseco. Quoad secundam etiam offenditur: Nam concupiscentia minuit cognitionem: ergo etiam est involuntarium ex parte cognitionis.

Ad argumentum responderetur, quod passio non minuit peccatum, quia minuit voluntarium quoad substantiam, sed præcisè quia minuit voluntarium liberum, quod adit supra voluntarium quoad substantiam quendam modum accidentalem. Et quod hæc explicatio fit iuxta mentem D. Thomæ, satis constat ex contextu articuli relati in argumento.

Ad confirmationem responderetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad probationem pro prima parte dicendum est, quod licet passio sit extrinseca voluntati, non tamen movet eam efficienter, sed tantum obiectivè, in quantum facit obiectum apparere magis appetibile. Ipsa tamen voluntas est, quæ sola se inclinatur intensius in obiectum. Unde ex hac parte passio non causat involuntarium. ¶ Ad probationem pro secunda parte: Responderetur, quod passio minuit cognitionem quantum ad considerationem actualem circumstantiarum, quæ insunt obiecto, sed non quantum ad considerationem actualem obiecti secundum se sumpti. Ex quo nequit inferri, quod minuat voluntarium quoad substantiam, quamvis minuat illud quoad voluntarium liberum. Et hinc oritur hallucinatio Adversariorum, qui hæc non distinguunt censent, passionem ex hoc capite causare involuntarium secundum quid.

Paul. Tbol. Salm. Tom. II.

37. Arguitur secundo: Nam aliquando contingit, ut id, quod quis eligit concupiscentia affectus, ita sit virile ad consequendum finem, quod fit disconveniens appetitui sensitivo: ut cum infirmus ex desiderio salutis sumit potionem amarâ: ergo effectus ortus ex concupiscentia est mixtus ex voluntario, & involuntario. Consequencia probatur: nam tunc voluntas habet duplicem appetitum, alium efficacem, & alium inefficacem, ex quibus vltimus opponitur primo; & huius ratione infirmus, ægè & tarde sumit potionem, & nollet eam sumere, nisi conduceret ad salutem; sed propter hanc rationem diximus dubio præced. netum causare involuntarium secundum quid, ergo etiam concupiscentia.

Et confirmatur: Nam concupiscentia causat timorem, ut docet D. Thomas infra quæst. 43. art. 1. sed timor, causat involuntarium: ergo, iuxta illud axioma, *Quod est causa causæ, etiam est causa causatæ*, concupiscentia causat involuntarium saltem secundum quid.

Et confirmatur secundo: Nam experientia constat, quod dum voluntas operatur aliquid ex passione, mota, habet aliquam displicentiam, & tristitiam: ergo passio causat involuntarium. Probatur consequentia: Nam id, quod tunc operatur voluntas, est contra affectum illum, per quem non vult tale opus exercere, & quia illud exercet, tristatur, sed nihil aliud requiritur ad hoc ut opus sit mixtum ex voluntario, & involuntario: ergo passio causat involuntarium.

Pro solutione huius argumenti, & eorum confirmationum: Notandum est, aliud esse, quod concupiscentia ipsa causet involuntarium, aliud verò quod per accidens ibi admisceatur ex alijs capitibus aliquid involuntarij. Non negamus, quod interdum concupiscentia per accidens admittat aliquid involuntarij: quia experientia constat, quod avarus habeat amorem remissum erga mulierem (v. g.) & magnam avaritiam divitiarum; & tunc largitur pecuniam non fit, nisi cum dolore & tristitia. Idemque multoties contingit, dum quis peccat ex passione si mul habet aliquam tristitiam proveniente ex dictamine rationis, & remorsu conscientie. Sed quod negamus est, quod ipsa concupiscentia, prout insluit in actum voluntatis, causet involuntarium, cuius oppositum contingit in metu. Et ratio discriminis est: quia metus respicit malum ut malum, movetque ad hoc malum eligendum ad vitandum aliud vrgentius malum. At concupiscentia respicit bonum ut bonum, allicetque absolute voluntatem ad illud amandum. Unde displicentia, tristitia seu dolor, si ibi intervenit, non procedit ex ipsa concupiscentia, sed ex alio affectu aut passione, quæ coniuncta est cum præcedenti concupiscentia.

Hinc responderetur ad argumentum, quod cum infraus sumit potionem amarâ, quam-

KKK 2 vis

S. I.

Triplex assertio.

vis hac sit repugnans voluntati, & appetitui sensitivo, non tamen movetur ad potionem sumendam ex affectu, per quem illi repugnat, sed ex affectu salutaris, quae est illi conveniens, & maxime delectabilis, & potio amara etiam proponitur ex vi huius affectus; ut conveniens, & delectabilis. Neque displicentia, quam habet in praedicta potione, movet ad illam sumendam, quia potius illi reluctatur, ut bene notat argumentum; & hoc erat necesse, ut concupiscentia ipsa causaret involuntarium: ut contingit in metu, qui ob vitandum malum concurrens ad projectionem mercium, quae secundum se est mala.

Ad confirmationem respondetur, quod timor, aut tristitia vel non causatur ex concupiscentia; vel si ex ea causatur, est consequenter, & prae intentionem, quatenus resultat timor de malo futuro propter offensam Dei (v.g. lex peccata sequuntur, Ex his factis constat ad secundam confirmationem.

DUBIUM IV.

Utrum ignorantia causet involuntarium?

38 Quarta, & vltima causa involuntarij est ignorantia, de qua agit D. Thomas in praef. artic. 8. & pro ea instituitur hoc dubium, etsi leviter, quia de ea late agendum est cum D. Thoma infra q. 76. ¶ Sed nota cum D. Thoma praedictis in locis ignorantiam (alij divisionibus in tractatum de Peccatis missis esse triplicem, videlicet antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens est, quae omnino praecedat actu voluntatis, imo potius est causa operis facti cum ignorantia, non causans per influxum positivum, sed per modum removens prohibens: ac proinde neque est voluntaria, neque voluta imo, si adesset scientia, non fieret tale opus: ut si quis volens occidere feram, facta sufficienti diligentia occideret Patrem. Ignorantia concomitans est, quae neque est voluta, neque voluntaria, aut involuntaria, neque est causa operis; est tamen cum ipso opere, & agens est in tali dispositione, ut quamvis adesset scientia, tale opus eliceret; & hac ratione dicitur concomitans tam comparata ad voluntatem, quam ad ipsum opus: ut si quis volens occidere, feram, occidit inimicum, quem, si sciret, etiam occideret. Ignorantia consequens est, quae est voluta, & voluntaria saltem implicite aut interpretative, & consequitur ex actu voluntatis.

Hoc praemisso.



39 Dicendum est primo, ignorantiam antecedentem causare involuntarium simpliciter. Ita D. Thomas in praef. artic. 8. referens Arist. & Damascenum. Et probatur ratione: Nam sicut voluntarium est, quod procedit ex cognitione; ita involuntarium est, quod procedit ex carentia cognitionis, seu ex ignorantia; sed ignorantia antecedens est causa, ut aliquid opus fiat: ergo ignorantia antecedens est causa involuntarij in tali opere. Minor probatur exemplo adducto illius, qui, volens occidere feram, facta sufficienti diligentia occideret Patrem, quem non occideret, si esset scientia: proculdubio talis ignorantia est causa offensionis Patris. Et quod sit involuntaria simpliciter, constat: quia talis ignorantia antecedens, a qua provenit actus, neque directe, nec indirecte est voluntaria, alias non esset antecedens, ac proinde effectus neque in se, neque in causa est voluntarius: ergo ignorantia causat involuntarium simpliciter.

Et confirmatur. Nam id quod est contra absolutam inclinationem voluntatis, & iuxta nullam inclinationem illius, est simpliciter involuntarium, & nullo modo voluntarium; sed opus sequens ex ignorantia antecedenti est contra absolutam inclinationem voluntatis, & iuxta nullam inclinationem illius: ergo ignorantia causat involuntarium simpliciter. Minor probatur: nam imprimis effectus sequens ex ignorantia antecedenti nullo modo procedit a voluntate, ut supponimus: ergo non est iuxta aliquam inclinationem voluntatis. Deinde ita operans habet inclinationem positivam, & absolutam, sive formalem, sive interpretativam non faciendi talem effectum, quod colligitur tanquam a signo ex eo, quod recedente ignorantia, & accedente cognitione pœnitet se fecisse, quod fecit: ergo est contra inclinationem absolutam voluntatis, & iuxta nullam inclinationem.

40 Hinc colligitur primo, ignorantiam praedictam omnino excusare a peccato. Et ratio est: quia de ratione peccati est voluntarium, itaque quod nullo modo est voluntarium, nullo modo est peccatum; sed iuxta proximè dicta, quod procedit ex ignorantia antecedenti, nullo modo est voluntarium: ergo ignorantia omnino excusat a peccato. ¶ Colligitur secundò, contractus factos ex ignorantia antecedenti circa substantiam rei esse invalidos, fecus vero si ignorantia sit de accidentibus. Unde si quis contraheret matrimonium cum Berra existimans esse Mariam, matrimonium esset nullum: quia in tercedit ignorantia circa substantiam rei. Si ve-

ro illud contraheret cum paupere existimans esse divitem, esset validum: quia ignorantia est de accidenti.

41 Dicendum est secundò, ignorantiam concomitantem non facere involuntarium; tollere tamen voluntarij rationem. Ita D. Thomas in praef. & communiter Theologi. Et probatur ratione quoad veranque partem: Nam ad rationem involuntarij requiritur, quod sit contra inclinationem voluntatis, & ad rationem voluntarij requiritur, quod procedat ex cognitione; sed actus procedens ex ignorantia concomitanti ex una parte non est contra inclinationem aliquam voluntatis, & ex altera non procedit ex cognitione: ergo actus procedens ex ignorantia concomitanti ita non est involuntarius, quod non sit voluntarius. Minor quoad primam partem probatur: nam voluntas operantis cum tali ignorantia est in ea dispositione, ut si sciret, talem actum etiam operaretur: ergo non est contra inclinationem aliquam voluntatis. Quoad secundam partem etiam ostenditur: nam ignorantia tollit cognitionem, ut supponitur: ergo neque procedit ex cognitione.

42 Ex dictis colligitur primo, quod officio externi inimici ex ignorantia concomitante procedens non est peccaminosa in seipsa: quia haec nihil confert, ut actus fiat, vel non fiat. Arguit tamen, occidente esse in peccato, quia est in preparatione animi ad illum occidendum. ¶ Colligitur secundò, hanc ignorantiam excusare a censuris ecclesiasticis. Et ratio est: quia censuræ sunt circa actus externos voluntarios; sed actus procedens ex ignorantia concomitanti non sunt voluntarij: ergo. Unde si quis ex hac ignorantia percuteret Clericum, non esset excommunicatus.

43 Dicendum est tertio, actum factum per ignorantiam consequentem esse voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid. Ita D. Thomas in praefenti, & communiter Theologi. Et probatur ratione quoad primam partem: nam ignorantiam consequens, sive sit affectata, sive crassa, est simpliciter voluta, & voluntaria directe, vel indirecte; ignorantia enim affectata est directe voluta, quia operans per eam affectat actu habere ignorantiam illius, quod debet scire: & ignorantia crassa, seu supina est indirecte voluta, quia non curat operans scire id, quod debet scire: ergo actus, seu affectus ex ea sequens est simpliciter voluntarius.

44 Quoad secundam verò partem etiam ostenditur: Nam praedicta ignorantia est causa essentis, quod alias non esset, si adesset scientia: ergo est contra aliquam inclinationem voluntatis; sicut, proportione servata, dictum est de ignorantia antecedenti: ergo causat involuntarium secundum quid. Unde licet voluntas actu praecedenti velit expresse hanc ignorantiam (propter quod nominatur ignorantia consequens,

& explicata manet assertio) & ex consequenti id, quod ad eam sequitur; actu tamen subsequenti non velit id, quod ad eam sequitur; imo, si adesset scientia, impediret illud; & huius signum est tristitia, quam operans concipit post opus factum cum tali ignorantia: ergo est contra aliquam inclinationem saltem virtuales: ac proinde tale opus est involuntarium, iuxta illud Arist. 3. Ethic. cap. 1. *Eorum, qui per insitiam agunt, is, quem facti pœnitet, inivitus egisse dicitur.*

S. II.

Aliquarum obiectionum solutio.

45 Contra primam assertionem arguitur primo. Nam, posita ignorantia antecedenti, quilibet actus voluntatis procedit ab intrinseco, id est ab ipsa voluntate, & praevia cognitione: quia nihil volitum quin percognitum: ergo actus voluntatis non fit simpliciter involuntarius per ignorantiam antecedentem.

Respondetur, actum illum esse voluntarium & liberum respectu illius obiecti, quod ab operante cognoscitur, & ad quod terminatur expresse: ut respectu illius obiecti, quod totaliter ignoratur, neutrum habet: quia, deficiente cognitione circa tale obiectum, attinentia illius, quae est prae intentionem voluntatis, neque est libera, nec voluntaria.

Sed dices: Ergo licet actus attingens praedictum obiectum non sit voluntarius, non tamen dici debet involuntarius. Probatur consequentia: nam, ut esset involuntarius, opus erit, quod foret contra inclinationem voluntatis, sed respectu obiecti pœnitus ignorati voluntas nullam habet inclinationem: ergo non est involuntarius.

Ad hanc replicationem facile respondetur, iuxta explanationem ignorantiae antecedentis in limine traditam, quod si licet non detur inclinatio voluntatis formalis, & explicita, datur tamen virtualis, & implicita, ratione diligentiae, quam ignorans adhibet ut ad pellendam ignorantiam, aut saltem ratione actus, quo est efficaciter paratus ad omittendum actum, quem exercet circa tale obiectum ignoratum.

46 Contra secundam arguitur secundò ex Nisleno lib. de Natura hom. cap. 31. ubi ait: *Esse mixtum id, quod fit cum ignorantia, si eodem modo fieret, existente scientia*; sed haec ignorantia est concomitans, iuxta dicta in limine dubij; ergo opus factum ex ignorantia concomitanti est mixtum ex voluntario, & involuntario.

Ad hoc argumentum respondetur, operationem factam ex ignorantia concomitanti appellari a Nisleno mixtam, non ex voluntario, &

& involuntario, sed ex voluntario, & non voluntario.

47 Sed dices: Respectu subiecti apti non datur medium inter privationem, & formam: equas enim necessario est videns, vel cæcus; sed actus humanus est subiectum aptum voluntarij, & involuntarij: ergo omnis actus humanus vel est voluntarius, vel involuntarius: ergo actus factus ex ignorantia concomitanti non solum est non voluntarius negative, sed etiam est involuntarius privative.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: est subiectum aptum, supposita scientia, concedo minorem; non supposita, nego minorem. Actus enim procedens, ignorantia concomitanti, non est capax voluntarij, & involuntarij ex defectu scientiæ: & ita sicut lapis non est videns aut cæcus, sed non videns, quia non est subiectum capax visus; pariformiter actus ille non est voluntarius, aut involuntarius, sed non voluntarius.

48 Replicabis: Ergo non causat non voluntarium. Patet consequentia: nam hæc ignorantia non est causa actus; aliàs esset antecedens. Respondetur, quòd sicut ignorantia antecedens non est causa actus positivè, sed tantum negativè per modum reventis prohibens, & hac ratione est causa involuntarij; pariformiter ignorantia concomitans est causa non actus, quoad substantiam, sed quoad negationem voluntarij: nam actus, qui esset voluntarius, si esset scientiæ, non existeret scientiæ, est non ve-

luntarius propter ignorantiam concomitantem.

49 Arguitur tertio, & erit contra tertiam assertionem: Nam ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter; ergo etiam ignorantia consequens. Probat, consequentia: ideo ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, quia removel scientiam, quæ si adesset, homo non eliceret id, quod elicit ex tali ignorantia; sed etiam ignorantia consequens removel scientiam, quæ si adesset, homo non eliceret id, quod elicit ex tali ignorantia, vt supponimus cum D. Thom. in præf. ergo ignorantia consequens causat involuntarium simpliciter.

Ad argumentum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, propter apertum discrimen inter vnam, & aliam ignorantiam: Nam licet vtraque ignorantia conveniat in hoc, quòd opus factum ex ea non fieret, si adesset scientia; ignorantia tamen antecedens non est volita, aut voluntaria formaliter, aut virtualiter, quia nullum supponit actum voluntatis, in quo sit volita tanquam in causa, quinimò homo operans ex ea adhibet sufficientem diligentiam ad excludendam ignorantiam, & ad impediendum, ne illud opus fiat. At operans cum ignorantia consequenti est volita, vel formaliter, vel virtualiter per actum voluntatis, quem supponit, neque adhibet sufficientem diligentiam ad ignorantiam pellendam, & propter hanc rationem opus factum ex ea est simpliciter voluntarium.



TRACTA:

TRACTATUS X. DE BONITATE ET MALITIA.



ostquam egimus cum D. Thoma quæst. 6. de voluntario, & involuntario; opus erat specialem tractatum instituere circa actus humanos in particulari, de quibus agit D. Thomas à quæst. 7. vsque ad 18. exclusivè. Hunc autem tractatum, seu commentarium prædictarum quæstionum prætermittimus, quia plura circa ipsos diximus in alijs tractatibus, maxime tract. de Prædestinatione. Ingredientes ergo novum ordinem rerum, novumque genus entis, scilicet morale, agimus in hoc tractatu cum D. Thoma de Bonitate, & Malitia humanorum actuum. Et à nomine incipientes dicimus cum D. Thoma infra q. 58. art. 1. quod morale sumitur à more, vbi mos supponit pro consuetudine, diffiniturque à D. Iudoro lib. 5. Ethymol. cap. 3. per hoc quòd est: Longa consuetudo de moribus tantummodò tracta. Et quamvis mos secundum ethymologiam nominis magis propriè sumatur pro consuetudine habituali causata ex frequentatione actuum humanorum; moralitas tamen à more derivata & prout ad hunc tractatum conducit, magis propriè reperitur in actibus: nam in illis reperitur formaliter, & in alijs, vt in obiectis, & habitibus, tantum casualiter, quatenus sunt principia, & causæ illorum in diversis generibus. Ideoque principaliter agendum est in hoc tractatu de moralitate actuum humanorum; quamvis de alijs plura immiscebimus ob connexionem doctrinæ.

DISPUTATIO I.

De constitutivo Moralitatis.

Circa quæstionem An est moralitatis formalis nulla est quæstio, quia notissima est. Quocirca tantum erit sermo in hac prima disputatione de his, quæ ad eius essentiam explicandam spectant, Pro quibus sit.

DUBIUM I.

Quid requiritur ad moralitatem actus humani: Et in quo consistat?

Natura moralitatis adeo obtrusa est, vt inde oriatur non parva divisio inter Auctores. Nam quidam dicunt sufficere ad moralitatem, quòd actus sit voluntarius, & non requiri libertatem contingentiam. Pro qua referuntur Gabriel, Almainus, Oeham, Maior, Conrad. quem motum dicendi reputat probabilem Araxo. Moventur ad illum præcipuè propter amorem Dei, quem Christus eliquit in via.

¶ Alij illam cum libertate confundunt, existimantes moralitatem formaliter consistere in libertate. Ita Franciscus Felix cap. 1. diffic. 4. in præf. referens suum Scotum, & plures Patres Societatis. ¶ Alij docent esse præcisè denominationem extrinsecam desumptam à potentia, vel lege, aut alia forma extrinseca. Ita Suarez hic disp. 1. sect. 2. Vazquez, Salas, & alij. ¶ Alij tandem defendunt, consistere in quodam modo accidentali superaddito entitati, & libertati actus, ratione cuius dicit specialem habitudinem transcendentalem vel ad obiectum, vt subiectum regulis rationis, vel ad legem. Ita communiter Thomistæ.

§. I.

Duplex assertio circa libertatem requisitam ad moralitatem.

1. Dicendum est primò, libertatem omnino requiri ad moralitatem. Ita D. Thomas supra quæst. 1. art. 1. vbi docet illos tantum actus esse humanos, qui à ratione